Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1509
Quelle:
Copyright:

tholica, quem etiam *Baleus* memorat; neuter vero incipit, ut *Noſter*. Itaque initia, quae illi citant, ſunt *Prologi*, qui a *Cod.* noſtro abeſt, vel nullam *Tractatus* noſtri Notitiam habuere, quod in tanta Scriptorum *Wicleſi* farragine mirandum non eſt. Potuiſſe autem illum pluries ſub eodem Titulo *de Eccleſia* ſcribere, inde patet, quod etiam duos diverſos *Tractatus de Veritate S. Scripturae* ediderit, ut habes apud *Tanner. cit.* p. 769. Finit Noſter: *licet proſint per accidens. de iſto alibi. Explicit tractatus de Sancta matre eccleſia.* Sequitur Index alphabeticus.

III. *fol.* 212. *Incipit liber de dominio.* Sunt vero *Libri* III. quorum II. et III. inſcribuntur *de Dominio diuino.* Primus conſtans *Capp.* 19. incipit: *Cum quilibet chriſtianus et ſpecialiter Theologus mori debeat virtuoſus* &c. Secundus *Capp.* cenſet 5. Tertius 6. et finit: *et illud quod quis miniſtrat ſine debito ſecundum legem humanam donare dicitur.* Cum omnes hi tres Tractatus hactenus indicati eadem manu ſcripti, notulisque per margines adſperſi ſint, non dubitem, hunc quoque *Wicleſo* tribuere. Scripſiſſe eum *de Dominio diuino*, *de Eccleſiae Dominio* et *de Dominio civili* vades ſunt Autores *ſuprac.* quamvis alia horum Librorum initia adferant. Sed adplica hic, quae ad Tractatum praecedentem dixi. Et fortaſſe plurima eorum Exempla flammis tradita ſunt, antequam a Bibliographis adnotari potuere.

Codicem utrinque ambit membrana donationis quorundam Bonorum ad Altare D. *Nicolai* in eccleſia Parochiali Civitatis *Mezyrzyecz* (Meſeritz Morav.) cum onere 4. Miſſarum per Hebdomadem, et Anniverſarii poſt feſtum S. *Procopii* celebrandi, erogandaeque ſtipis. Collatores *Nicolaus de Mezyrzyecz* et *Briccius* dictus *Balaſs.* Act. *ſub anno domini M° CCCC° primo. In die ſancte Gertrudis.*

CCCCVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 911
XV. Folior. 242. 4. nitide exaratus, et rubricis enotatus in *Bohemia* continet: I. *Tractatum de anima Magiſtri Johannis Sſarp*, rectius *Sharp.* Tractatus hic incipit: *Utrum anima intellectiua eſt quodammodo omnia* &c. et quatuor *Articulis*, totidemque *Libris* conſtat; quorum I. eſt *concernens naturam anime humane intellectiue*, II. *concernens potentiam ipſius anime intellectiue*, III. *concernens modum intelligendi*, IV. *concernens actum intelligendi.* Hi *Libri* rurſus in *Capitula* diſpeſcuntur. Extrema ſunt: *Explicit tractatus Magiſtri Johannis Sarp. Bud bohu chwala. In te domine confido.* Quatuor Exempla mſs. Pſychologiae hujus Ariſtotelicae e Bibliothecis *Oxon.* citat *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* p. 665. ubi et in Autorem noſtrum, et in *Lelandum*, qui hunc ob controverſias cum *Vicoclivianis* habitas laudat, invehitur,